Augustus Secundus Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae Severiae, Czerniechoviaeq[ue]: nec non Haereditarius Dux Saxoniae, & Princeps Elector.

Significamus praesentibus Literis Nostris, quorum interest Universis et Singulis. Quod cum ad Regni nostri Splendorem pertinere existimemus, ut Civitates et Oppida in Regno et Dominijs Nostris existentia tam publicis, quam privatorum Hominum opibus affluant, quibus non tantum rei Domesticae consulant, sed etiam Reipub[li]cae in illius necessitatibus adjumento esse possint, cumq[ue] ejusmodi opes potissimum commertijs, ac mutuis negotiationibus civium parentur, ac propterea mercatus publici, seu fora in Civitatibus et Oppidis instituta sint, Libenter Supplicationi G[e]n[er]osi Antonij Karczewski Notarij Terrestris Czernensis in Bonis Haereditarijs Jakubow in Paltu Masoviae, et Terra Czernen. Sitt per Certos Consiliarios Nostros nomine et pro parte illius ad Nos facta annuendum esse duximus, ut in ijsdem Bonis Jakubow, Nundinas, seu fora annualia indiceremus et institueremus, prout de facto indicimus et instituimus praesentibus Literis N[ost]ris /: citra tamen praejudicium vicinarum Civitatum et Oppidorum:/ videlicet Tria, Primas pro Dominica Oculi, Secundas pro Festo Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, Tertias pro Festo Omnium Sanctorum in Anno celebrandas. Fora vero Septimanalia pro Singulis Diebus Dominicis. Ad quas Nundinas, et Fora Liberum et Licitum erit perpetuis temporibus, Hominibus cujuscunq[ue] Status, conditionis et sexus, Loci et nationis atq[ue] ritus, cum quolibet genere mercium annis singulis celebrandas confluere, atq[ue] rite et secure emere vendere, res pro rebus, merces pro mercibus permutare, omniaq[ue] et Singula negotia Licita, et Honesta peragere, et conficere. Venientes quoq[ue] ad Nundinas easdem, atq[ue] rursus inde discedentes, ea utentur securitate, qua omnes in patrocinium N[ost]rum Suscepti uti consueverunt. Nisi forte, aliqui tales fuerint, quos Leges Publicae ferre non permittunt, et quibus bonorum hominum consortium denegatur. In quorum fidem, praesentes Manu N[ost]ra Subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviae Die XII Mensis Septembris Anno Domini MDCCXXVI.
Regni vero Nostri XXX anno.

Augustus Rex

Nundinae et Fora Septimanalia in Bonis Haereditarijs Jakubow dictis in Paltu Mason. et Terra Czernen. G[e]n[er]oso Antonio Karczewski Notario Terrae Czern. Conceduntur

Michaël Mauritius Suski Venator Terrae Lomzen. S. R. M[aies]tis Secr[eta]rius

359